993

E, 4, 26

Inc
1416

# Expoſitio Egidii Romani ſupra libros elenchorum Ariſtotelis.
# Queſtio defenſiua opinionis de medio demonſtrationis eiuſdem.

BIBLIOTHECA NACIONAL DE LISBOA

Inc. 1416

¶ Reuerēdiſſimo dño dño Joā\[n\]i ſtephano de Ferrerijs Apoſtolico ꝓtonotario ac epiſcopo Uercellē\[n\]ſi Electo di
gniſſimo theologie ac phie Pariſius ꝓfitenti frater Auguſtinus de meſchiatis de bugella Salutē plurimā.

¶ Niſi reuerēdiſſime dñe logicoꝝ ſummus Ariſtoteles ac philoſophoꝝ princeps. Ceteriſqꝫ bonarum artium inſe-
ctatores dialecticam ipſam ſatis cōmēdaſſent: ⁊ ſupremum eius apicem egoipſe intuerer: quo ceteras facultates:
⁊ (ut ita dixerim) vniuerſas ⁊ iuris ciuilis: ⁊ pontificij nobilitate excellere: ac utilitate longe exuberare conſpice-
rem: ad omniūqꝫ methodoꝝ principia viam habere aliquid de ea inſcriberem. Sed nedum ipſi rhetoꝝ principes
⁊ eloquentie luminaria recēſendo defecerunt: qui peractis temporibus orandi ac ſcribendi copia ⁊ grauitate flo
ruerunt: hanc laudibus efferre uoluerunt. Sed minimā quidem portiunculam attigerunt. Sed ꝙprimum debiti
vinculum ⁊ ꝑpetuam oīum noſtrum obligationem intueor: idqꝫ nedum pietati ⁊ officio congruum: ſed etiam iu
ſtitie ⁊ honeſtati proximum videtur: hanc ſcientiam ſiue ſciendi modum Auerroi ſecundo metaphiſice atteſtāte.
minime eſſe ſilentio pretereundam.

¶ Dialetica a differēdo eſt uocata: eo ꝙ dialetici de uerboꝝ ac rōnum acumine ſoleāt diſputare. Dialetica ratio ꝓ-
prie: nō ſermo: ut pleriſqꝫ placuit dicit. fundamētum enim dialetice eſt ex intellectu: ſicut ꝑncipiūꝫ artis grāmati
ces ex lingua euenire fert: ut ab Alpharabio in cōpōne ſue logice: ⁊ diui Egidij Romani in elenchoꝝ libro ſcri-
ptum inuenimus. Ab hac fit ſapiētia: que rerum diuinarum ac humanarum ſcientia dicit grece ſophia: ⁊ qui eaꝫ
ꝓfitent ſophi appellant. Qd nomen dialetica illis clariſſimis viris dedit. Nec diſcurrēdo rōcinādo a principijs
ad cōcluſionem felices facit ⁊ rerum cognoſcere cauſas. hanc Cicero lingue romane decus in quadā epiſtola lon
ge cōmēdauit: ⁊ in de officijs ꝑmo. nos a brutis differre facit: labi: errare: neſcire: ⁊ turpe: ⁊ malū dicimus. Que
igit ſola dialetica ⁊ phie ⁊ diuine ſapientie nauim ab huiuſmodi ſcopulis diligētiſſime gubernat: hanc neſcientes
parmenidem ⁊ meliſſum in nāli phia fluctuare vidimus. hinc ab Auerroi medicoꝝ ꝑmus Auicēna reprehēdit.
hunc virum ait modicā dialeticā duxiſſe peccare peccato manifeſto. Que ſingula ita tue dñationi ſunt nota. Ita
apud oēs ſapientes celebri fama vulgata: ita a grecis latiniſqꝫ celebrata: ut nullius ꝑconijs indigeant. Nec mihi
tantū eſt ingenij: nō ſpiritus: nō eloquētie: ut dialetices laudes tue dñationi deſcribere poſſim: ſed hanc ꝓuinciā
ſūmis oratoribus ⁊ grauiſſimis phis relinquo qui abundāti eloquētie fonte de ea fari poterūt. Tantū tue dñati-
oni aperiā quid anno ꝑterito mihi acciderit. Cum in dulciſſimā patriā me cōtuliſſem animum laxandi gratia: ad
bibliotecā noſtrā: que eſt in monaſterio ſancti Petri Bugelle deſcendi: ibiqꝫ inter reliquos tum theologie: tum
phie: ac dialetices codices: fundatiſſimi dñi Egidij Romani quedā opera inſpexi: ac illis operā dedi. ne tunc tē-
poris ocio uacarem. Tandem illius fundatiſſimi doctoris elenchoꝝ liber: in quo fallacias inſup ſophiſticarum
atqꝫ apparētium rōnum diſſoluere docet: meas in manus incidit. Profecto illud diuinuꝫ opus maximo me gau
dio affecit hinc excogitaui: imo certum fuit: ne ꝑpetuo exilio opus Egidij Romani dānatum foret: illum ex tene
bris in lucem adducere: ut tua dñatio in ꝑmis: ceteriſqꝫ bonarum artium: quas liberales uocāt: ſtudioſi: tanti ope
ris ꝑticipes efficerent: Ariſtotelicum illud ſeruans. Bonum ideo bonum quia cōmunicabile. hunc igit correxi ⁊
emendaui: ⁊ qōnem quādam defenſiuam opinionis Egidij romani de medio demonſtrationis a noſtris docto-
ribus quanto potui ſtudio labore: vigilantia: ab illis ubicunqꝫ de hac materia dixerunt: notata excerpſi: in ordi-
nēqꝫ redegi: ⁊ ꝑce nōnulloꝝ cōmilitonū meoꝝ notoꝝ coactus nuperrime imꝑmēdum ſtatui. Illūqꝫ ad diuinuꝫ
⁊ ſacrum Pariſienſe ⁊ gymnaſium trāſmittere: in quo tua dñatio longe inſudat. Iſtuꝫ modo tu accipies: ⁊ in bi
bliotcca tua copioſiſſima repones. Quāqꝫ mutus ſit ⁊ qualibet aīa carens. Mirifice tn̄ ſentire letariqꝫ videbit. Jus
ciuile ac pontificiū que patauij didiciſti tecum ꝯtemplabit: theologiā ⁊ phiam quibus tua dñatio incūbit expiet
⁊ admirabit. Non tue dñationi offero oppida: opes: facultates: ⁊ clientelas: quibus ferreria domus affluentiſſi
ma eſt. Sed ad reuerēdiſſimā tuā dñationem ꝯfugio: que dominū noſtrā diligit: ⁊ me ſui obſeruātiſſimū affinem
eſſe cognoſcit: cui hoc munuſculū trado: dedico ⁊ inſcribo ſperans te leta ⁊ hilari fronte ac humanitate ꝯſueta ſu
ſceptutum ꝙ oēs defectus a ſolius inſcriptionis tue titulo diſabeat. Igit benefactor ſingulariſſime exiguum ſui
ſerui munus accipias. Nec tantū rei tenuitatē cōſpicias: ꝗꝫ totius familie de meſchiatis ac oīum fratrum meoꝝ
erga tuaꝫ dñationem: ⁊ magnificum ſplendidiſſimūqꝫ equitem auratum ducalem Sabaudie theſaurarium dñm
Sebaſtianū de ferrerijs noſtre patrie decus ⁊ tutorem: tuūqꝫ digniſſimuꝫ patrem fidem ⁊ obſeruantiā metiaris.
Ualeat tua reuerēdiſſima dñatio: ⁊ me ſibi ꝯtinuo cōmendatum habeat.

¶ Nicolaus telluccius de ſancto Miniate phie Padue ꝓfeſſor ad reuerēdiſſimū dñm
Joānem Stephanum de ferrerijs epiſcopū Uercellenſem electum.

Uita fugit: uolitāt anni: mors frigida falce
Nititur hoſtiles accelerare pedes.
Uita breuis: nrāꝫ eſt: ſpatio qd viuimꝰ arcto.
Nos fragiles: ſi qua eſt: perpetuare via.
Foīa: vigor: turres: aurū: ſata gramina: ꝑles
Non dant eternos ſi moritura viros.

Ultima fortune ſubſtant duo ꝑma ſenecte.
Ultima mutant: tēpore prima cadunt.
Sola igit virtus eternos preſtitit annos.
Hanc ſequeris: viues: mortuus aliue pi:
Egidium virtus mortali corpore textum
Uiuificat: nullo funere ſuppoſitum.

¶ Expoſitio Egidij Romani ſupra libros elenchorum
Ariſtotelis: vna cuꝫ queſtione defenſiua opinionis de
medio demonſtrationis eiuſdem.

# E illuſtri proſapia

ortũdo dño philippo filio p̄clari: ac ue-
nerabilis comitis flādrēſis. frater Egi
dius Romanus ordinis fratruꝫ eremi
taruꝫ ſancti Auguſtini. Salutem in eo
a quo oīs ſapiētia deriuat. ¶ Nature
ſagacitas ex eius opatione dinoſcit. nā in agēdo ex in
telligētijs memorata a deo directe in finē tēdit: ut oia
debito fine cōpēſet. ꝓpter qd̄ q2 liberoꝝ ⁊ ſeruoꝝ opa
ſunt diuerſa: uera eſt illa politicoruꝫ. lib. p̄o. ſnīa ꝙ nā
utrorūqꝫ corpa nō pari rōne ꝯſtituit: ſed ſuos quoruꝫ
eſt obedire ut iuſſa implere ualeāt: corpe facit eē robu-
ſtos: liberos v̄o quos ꝯgruit alios regē. facit ut vigeāt
intellectu. Itaqꝫ ut teſtat phs. quicūqꝫ in tātū ab alte-
tia differūt ut beſtia differt ab hoīe: ⁊ corp⁹ ab aia: q̄ſi
nā ſunt ſui. Quia ḡ hoc neſciētes a ſciētib⁹ patiunt:
cuꝫ ḡ bonū ſit beſtie ut regat ab hoīe: ⁊ corpi ut regat
ab aia: expedit impitis etiā ꝓpter eoꝝ bonū pitioribꝰ
eē ſbditos. Q2 ſi h̄ plicū dictū ſolū reputat famoſuꝫ ⁊
figuralr tm̄ ꝯtinē aliquā ueritatē: eſt tn̄ nullo dubitan
te aptiſſima ſītaa: ꝙ oīno ſuus ⁊ ancillatiuus exiſtit:
qui ſic impit⁹ eſt ꝙ in ſua impiria ſatagit remanere. ſi
eni oēs hoīes nā ſcire deſiderāt: penit⁹ ab hūana nā de
gñat: qui ſcire ⁊ itelligē nō affectat. Quare ſi ur̄a nobi
litas me affectuoſe rogauit: ut ſup libros elēchoꝝ aliq̄
ſcripta cōponerē. quatinus ſophiſticaruꝫ rōnū ſolone
ꝯſpecta libert⁹ itelligētia polleretis. cogor laudare qd̄
petitis. Quia ex h̄ uos nō ſuīlē neqꝫ degenerē: ſꝫ oīno
herilē ac liberū cōprobatis. Decet eni ut ſic eſtis origi
ne nobiles: ſic ſitis aīo ⁊ pſpicacia gñoſua. Peritionis
ergo decētia: necnō ⁊ ſincera dilectio quā erga ueſtraꝫ
gero pſonā: q̄ſi due p̄miſſe hāc ꝯncm ſufficiētius infe-
runt: ꝙ dei inſius auxilio ſup dicto libro quedā expo-
ſitiua cōponam: ut ueſtra generoſitas poſtulauit.

## Lpharabius

in logica ſua uo
lens quādā no
titiā tradē de dialetica ait: ꝙ fundamentuꝫ
dialetice eſt ex itellectu: ſicut fundamentum
artis grāmatice eſt ex lingua. vñ ſubdit: ꝙ ſcia dialeti-
ce cōparat ad itellectū ⁊ itellecta: ſicut ſcia grāmatice
cōparat ad linguā ⁊ ad uocabula. Ut ergo ſciam⁹ quō
per hec dicta notificat dialetica: ⁊ qualr diſtinguit ab
alijs ſcientijs: ⁊ que fuit neceſſitas iueniēdi eā. ¶ No
tandū ꝙ q2 nō coḡſcimus res ipas niſi rōcināo ⁊ di-
ſcurrēdo a p̄ncipijs ad ꝯnē. neceſſe fuit iuenire aliquā
artē que eēt directio rōnis noſtre per quā poſſem⁹ coḡ
ſcere utrū de reb⁹ q̄s coḡſcim⁹ recte ul̄ nō recte forma-
rem⁹ rōnes ul̄ ſillos. pp qd̄ antiq phi diſputātes de na
turis rerū: ⁊ ignorātes exercitiū artis diſputatiue rō-
nes eoꝝ cū hoc ꝙ falſa recipiebāt nō ſillogiçabant: ut
pꝫ ex p̄o phiſicoꝝ de parmenide ⁊ meliſſo. ꝯto x̄o. ⁊ qd̄
dictū eſt de meliſſo ⁊ parmenide ueritatē hēt de oibus
alijs phis p̄cedētib⁹ Ar. oēs eni ipſi ignorātes diſpu
tatiuā artē credētes ſillogiçare nō ſillogiçabāt. Neceſ
ſe ḡ fuit iuenire arteꝫ aliquā que eſſet rōnis directiua.
¶ Rurſus: q2 ſcie ſpeculatiue cōplent per diuturnuꝫ
exercitiū: ⁊ vnus homo ſine auxilio alteri⁹ iuenire ſci
entiā nō pōt aliquā ſpeculatiuā: nec ſm ſe totam: nec
ſm magnā ptē: niſi adiutus ab alio: oportuit hoies ſi-
biuicē coicare in traditione ſcie. pp qd̄ 2o me^ce ꝯto 2o
ſcribit ꝙ ſi nō fuiſſet gñoſus nō eēt thimeus: ⁊ ſi non
eēt thimeus multum careremus de cōpōne muſicali.
Nunq̄ꝫ eni ut dicit cōmētator ibidē. aliqa per ſe iueni
re pōt cōplete artes opatiuas: aut deſideratiuas: quia
nō cōplent niſi per iuuamentū p̄oris ad ſequentē. opꝫ
ergo fieri coicationē in ſcia ſi debeat complete tradi. ⁊
q2 ꝯſideratio nō fit niſi per ſmonē. iō ſic oportuit inue
nire vnā artē ut dialeticā que eſt directiua rōnis ne er
ret in rōcināāo ⁊ ſillogiçādo: ſic oportuit vnā artē ut
grāmaticā iuenire: que eſt directiua lingue ne erret in
loquēdo. Iō idē Alpharabius ait. ꝙ ſic grāmatica eſt
pro bono ligue ne erret in iterp̄tatiōe: ſic ſcia dialetice
eſt directio itelligētie ne erret in itellectis. i. ne erret in
his que rōcināāo ⁊ ſillogiçādo itelligim⁹. ¶ Dicam⁹
ergo ꝙ ſciarū quedā ſunt reales: quedā logicales. dif
aūt dialetica a realib⁹ ſciētijs: q2 ipa nō eſt realis ſꝫ lo-
gicalis. ¶ Amplius: q2 logicalis ſcia dr̄ a logos: ⁊ lo-
gos grece latine ſmo uel rō iterp̄tat. dialetica ꝓpe lo-
quēdo nō dr̄ logica a logos quod eſt ſmo: ſed a logos
qd̄ eſt rō. Nā ſi cōi noīe ſcie rōnales pūt dici ſmocina
les: ⁊ eꝯ. tn̄ ut pꝫ per hita dialetica ꝓpe eſt rōnalis: q2
eſt directiua itellect⁹ ⁊ rōnis. grāmatica v̄o ꝓpe eſt ſer
mocinalis: q2 dirigit ſmonē ⁊ liguā. Ex q̄ pꝫ quō dia
letica differt a ſciētijs realib⁹: ⁊ quō a grāmatica. quō
aūt differat a rhetorica in dubitationib⁹ oñdet. ad p̄ns
aūt tm̄ dictū ſit dialeticā nō eē ſciam realē: nec ꝓpe lo
quēdo eſt ſcia logicalis: ut dr̄ logica a logos qd̄ eſt ſer-
mo: ſed ut dr̄ a logos qd̄ eſt rō: ⁊ q2 ſic eēntiale eſt dia-
letice ſe tenere ex pte rōnis poſſumus eā diuidē ſm ea
que videmus ex pte rōnis ⁊ itellect⁹. tenet eni dialeti-
ca ſe ex pte rōnis: nō ꝙ ꝓpe ſit de actibus rōnis: ut in
dubitationib⁹ patebit. ſed ꝓpe eſt de ꝯceptib⁹ ⁊ itētio
nib⁹ que per act⁹ rōnis formant. noſter aūt itelleͨ q2 i-
telligit cū fantaſmate: ⁊ modicū pticipat de lumie itel
lectuali: ſed tenet ultimū gradū in gñe itelligibiliū. iō
nō ſtati itelligēdo ſbm itelligit p̄dicatū. pp qd̄ itellus
intelligit cōponēdo ⁊ diuidēdo: ſic etiā: q2 nō ſtati qñ
intelligit p̄n^a itelligit ꝯnes: opꝫ ipm̄ itelligere diſcur-
rēdo ⁊ iferēdo. ſunt ergo iſti tres act⁹ itelleͨ. p̄mus eſt
ſimplr̄ coḡſcere. ſcḋs cōponere ⁊ diuidere. tertius eſt
diſcurrere ⁊ iferre. ſm hos tres act⁹ tria format. nam
intelligēdo ſimplicia format ſimplicē ꝯceptū ⁊ diffō-
nē. itelligēdo cōpoſita format enūciationē. diſcurren-
do format ſillm̄. iō ſm hos tres act⁹ rōnis ꝯuenit cōi
ter diuidi logica in tres ptes: videlꝫ q̄ztū ad intellectū
ſimplicē in p̄dicamēta: in p̄iermenias q̄ztuꝫ ad itellm̄
cōpoſitū. Et in libros artis noue q̄ztū ad illū actū itel
ligendi qui eſt diſcurrē ⁊ iferre. h̄ aūt ⁊ ſi bn̄ dictū ſit.
videt tn̄ ſi per ſe loq uolum⁹. ꝙ magis accipiēda ſit di-
uiſio dialetice ſꝫ ꝯcept⁹ ⁊ itētiōes que formant ex his
actib⁹: ut dicam⁹ ꝙ in libro p̄dicamētoꝝ determiat de
ſimplicib⁹ ꝯceptib⁹: ut de q̄dditatib⁹ ⁊ ꝯceptib⁹. x. ge-
nerū. In libro āt p̄iermenias determiat de enūciatio-
ne que format ex itellectu componēte ⁊ diuidente. cō
ponēte q̄ztū ad enūciatiōeꝫ affirmatiuā. diuidēte q̄ztū
ad negatiuā. In libris autē artis noue determinatur
de ſillogiſmo qui format ex intellectu diſcurrēte ⁊ in-
ferēte. libri ergo artis noue diuidi pñt ſm diuiſionem
ſillogiſticā. ſills eni duplr̄ pōt accipi. ſimplr̄ ⁊ ꝯct⁹. Si
ſumat ſimplr̄ ſic determiat de eo in li^o p̄oꝝ. ſi aūt ꝯhat
hoc erit duplr̄: q2 uel ꝯhet ex neceſſitate mãe: ⁊ ſic eſt
liber poſterioꝝ. ul̄ ex hitudie locali: ⁊ hoc duplr̄. q2 h^a
hitudo ul̄ erit cōgrua ubi poterit ſaluari forma ſillogi
ſtica: ⁊ ſic eſt liber topicoꝝ. ul̄ erit incōgrua ubi forma
ſillogiſtica ſaluari nō pōt: ⁊ ſic eſt liber elenchoꝝ: quē
pre manib⁹ hēmus: in quo determinat de ſillo ſophi-
ſtico qui videt ſills: nō eſt tn̄ ſimplr̄: ſed eſt ſills ꝯctus
per indebitā additionē. ſicut eni mortuū reſpectu ho-
minis hēt rōnē indebite additionis: ita ꝙ homo mor
tuus nō eſt homo: ſic ſills peccans in forma nō eſt ſills
q2 ꝯhit per hitudinē localē incōpetentē in qua forma
ſillogiſtica ſaluari nō pōt. utrū aūt in hoc libro debeat
aſſignari ſbm ipe ſillus ſophiſticus: uel ipa ſophiſtica
hitudo localis. ul̄ etiā ipſe elenchus nō eſt p̄ntis ſpecu

latiõnis:q̃ in ꝓſequẽdo patebit. ſufficiat aũt ad pñs
ſcire quõ per ea que determinant in hoc libro: diſtin-
guit iſte liber ab alijs. Cauſa aũt efficiẽs hu9 libri fu-
it Ar. formalis eſt duplex: forma agẽdi:q̃ eſt diuiſiu9
diffinitiuus: ⁊ exẽplo℞ poſitiuus. ⁊ forma tractat9 ut
ordinatio caplo℞ ad iuicẽ. cauſa finalis eſt notitia co-
rum que tradunt in hoc libro: qua notitia habita poſ-
ſumus vitare ſophiſticas importunitates.

Cõ.4 **Uoluit plato** ut recitat cõmenta
tor in 3° de aia. q̃ ṗ
mo in ṗncipijs dz eẽ lõgus: pp qd ut facili9 ſpe
culari poſſim9 q̃ ſũt ꝓpa ſillo ſophiſtico diffuſi9 diſpu-
tabim9 q̃dã coia tã circa logicã q̃z ẽt circa ſill℥ ſophiſti
cũ. ¶ Ad itelligẽtiã q̃ dicto℞ dubitaret forte aliqs de
qb9 ſit logica. utrũ eẽ hẽat de actib9 rõnis: ut coiter põt
tur. ¶ Ad qd dici põt q̃ ⁊ ſi aliq̃ mõ de actibus rõnis
ſit logica: ꝓprie tñ nõ eſt de actibus: ſ℥ eſt de itẽtiõibus
⁊ ꝯceptib9 qui formant per h9i act9: qd duplici via ue-
nari poſſum9. nã cũ logica ꝓprie dicat ſcia rõnalis: ut
dictũ eſt: ꝓpe erit de hiſ ad que cõparat rõ in eo q̃ rõ.
rõ aũt ad duo cõparat. ſ. ad actũ: ⁊ ad id qd per actu℥
ꝯſtituit: ut itellect9 cõparat ad actũ itelligẽdi: ⁊ ad illõ
qd format per talẽ actũ. Semp eni ut dictũ eſt: rõ nr̃a
⁊ itellect9 nr̃ in itelligẽdo aliqd format: q̃ in itelligen
do ſimplicia format ſimplicẽ ꝯceptũ ſiue diffõnẽ. In i-
telligẽdo cõpoſita format enũciationẽ. Ad hec ãt duo
rõ nr̃a nõ vniformiter cõparat: nã q̃ tendat in actũ: h
nõ hẽt ut rõ eſt. nã ⁊ ſenſus tẽdit in actũ ſuũ: ſed q̃ ex
actu aliqd formet cõpetit itellectui ⁊ rõni magis p ſe.
ſenſus eni l℥ ſentiat: tñ nõ format ſibi h9i ꝯcept9: ſic in-
tellect9. ꝯcept9 ergo ⁊ formata per itellectũ magis per
ſe: ſe tenẽt ex pte rõnis quãtũ act9. dialetica ergo que
ꝓpe rõnalis eſt magis erit de h9i ꝯceptibus q̃z de ipſis
actib9. ¶ Amplius diſcurrẽdo per libros logice vide
mus oino uerũ eẽ qd diximus. liber eni ṗdicamẽtorũ
eſt de ꝯceptib9: quos formamus in itelligẽdo predica
mẽta: ⁊ nõ de actu itelligẽdi per quẽ talia itelligimus.
Cũ eni dico ſuba: ly ſuba nõ ſignificat actũ illũ intelli
gẽdi per quẽ itelligo ſubam: ſed ſignificat ꝯceptũ quẽ-
dã ⁊ rõnẽ quãdã quã formo in itelligẽdo ſuba℥: ſ℥ o℥
4° me℮. q̃ rõ q̃ ſigt nomẽ eſt diffõ. ſemp eni in intelli
gẽdo icõplexa formamus nobis quẽdã cõceptũ ſim-
plicẽ: uel q̃ſi ſimplice℥ qui cõi noie põt dici diffõ. nã l℥
ꝓpe ſola ſpẽs diffiniat. cuilibet tñ noi icõplexo rũdet
quidã ꝯceptus in aia: qui cõi noie põt dici diffõ. ⁊ h9i
diffõ eſt id qd ſigt nomẽ. liber ergo ṗdicamẽto℞ eſt de
incõplexis. nõ q̃ ſit de ipo actu itelligẽdi quo itelligi-
mus ſimplicia: q̃ de h9i actu in 3° de aia ſatis determi
nat: ſed eſt de ipſis ꝯceptib9 qui formant cũ itelligim9
ſimplicia. ṗdicamẽta eni de qb9 eſt liber ṗdicamẽto℞
nõ ſignificãt ipm actũ itelligẽdi. ſed ſignificãt ꝯcept9
illos quos formamus cũ intelligimus ea. erit ergo di-
ctus liber de h9i ꝯceptib9. ſed q̃ etiã de talib9 ꝯcepti-
bus põt eẽ aliq̃ mõ ſcie reales. quõ differẽter ſit de eis
logica: ⁊ realis ſcia patebit cum dubitabit quõ logica
differt a metaphiſica ⁊ ab alijs realib9 ſciẽtijs. ad pñs
tñ in tãtũ dictu℥ ſit q̃ differt actus rõnis a ꝯceptu qui
format per talẽ actũ: qd p℥. q̃ nomẽ nõ ſigt ipm actu℥
ſed ꝯceptũ formatũ per actũ: ſba eni nõ ſigt ipm intel-
ligere ſed ꝯceptũ illũ quẽ formo in itelligẽdo ſubam.
ergo liber ṗdicamẽto℞ ſ℥ de ṗdicamentis dr̃: q̃ eſt de
cõceptib9 illis quos formamus in itelligẽdo ṗdicamẽ
ta: ſed ſicut in itelligẽdo icõplexa aliqd formamus: ut
concept9 illos: ſic in itelligẽdo cõplexa: ut in cõponen
do ṗdicatũ cu℥ ſbo aliqd formamus: q̃ enũciatione℥
ipſam: ꝓpter qd ſicut liber ṗdicamẽto℞ nõ eſt de actu
intelligẽdi quo itelligimus ſimplicia: ſed de ꝯceptib9
quos formamus. ſic liber piermenias non eſt de actu
intelligẽdi quo itelligimus cõpoſita: ſed eſt de ipa enũ
ciatione quã formamus per talẽ actu℥. ¶ Ruſus. q̃
ſicut in itelligẽdo ṗdicatũ cũ ſbo formamus enũciati-
onẽ: ſic in itelligẽdo ꝯnes in ṗncipijs formamus ſill℥.
libri ergo artis noue nõ erũt de actu itelligẽdi quo in
telligimus ꝯnes in ṗncipijs: ſed de ſillo qui formatur
per talẽ actũ. p℥ ergo de quo ſit logica ulr̃: q̃ eſt de h9i
cõceptib9 ⁊ itẽtionib9 formatis per actũ itelligẽdi. par
tiales ergo libri logice diuidunt ẽm qd: ⁊ in diuerſis
libris determiat de diuerſis ꝯceptib9. ⁊ itẽtionib9. na℥
ſicut corpus mobile cõi mõ acceptũ eſt ſbm in tota nã
li phia: ꝯctũ tñ ad hoc ul ad illud eſt ſbm in h libro: ul
in illo: ſic h9i itẽtiones ulr̃ logicã cõprehẽdũt. determi
nate vo ad illud ut ad ſillm: uel ad enunciationẽ deter
minãt ſibi diuerſos libros logice: ut põt patẽ per iã di
cta. coiter ergo loquendo dialetica eſt de actib9 rõnis:
q̃ h9i ꝯcept9 actus qdẽ rõnis dici põt: pp qd coia ſcri
pta hec dicẽtia nõ falſificamus. Nã ⁊ nos in rhetorica
ubi ſupficiali9 de dialetica locuti ſumus: nõ curauim9
diſtinguẽ iter h9i ꝯceptiones ⁊ actus rõnales: ſed dixi
mus dialeticã ⁊ rhetoricã eſſe de actibus rõnis h9i.

**Alterius** forte dubitaret aliqs. dato q̃ dialecti
ca ſit de talib9 cõceptib9 ⁊ itẽtiõib9.
utrũ ꝓprie loquẽdo poſſit dici ſcia. Ad qd dici põt q̃
ẽm ph℥. 2. metaph. ꝯtõ. 15. dialetica debet dici modus
ſciẽdi. vñ ſup illo vbo: q̃ malũ eſt ſimul querẽ ſciẽtiã ⁊
modũ ſciẽdi. vult cõmẽtator q̃ per h9i modũ itelligat
dialeticã. rõ aũt: q̃ dialetica eſt magis modus ſciendi
q̃z ſcientia. ex hoc ſumi põt: q̃ ſcientia eſt in intellectu
⁊ de illis ꝓprie ⁊ ṗncipalr̃ eſt ſcia que ꝓprie ⁊ ṗncipa
liter pñt eẽ obm intellect9: ⁊ ide eſt: q̃ q̃ ꝓprie pticu-
laria nõ ſunt ꝓpriũ obm itellect9. bñ dictũ eſt qd ſcri-
bit. 7. meta℮. cõmẽto. 35. q̃ eo℞ nõ eſt ſcia neq̃ diffõ.
Cũ ergo itellect9 per ſe ⁊ ṗmo itelligat ipas res ⁊ alia
a ſe: ⁊ intelligendo ea itelligat ſeipm: ut põt hẽri ex 3°
de aia. cõmẽto. 15. nihil qd eſt in itellectu ẽm q̃ huius
poterit ṗncipale eẽ obm itellect9. Dialetica ergo que
eſt de ꝯceptib9 ⁊ itẽtionib9: ut ſunt qd rõnis ꝓprie ſci
entia eẽ nõ poterit: erit tñ modus ſciẽdi. nã l℥ itellect9
nõ ferat in ꝯcept9: ⁊ intẽtiones que ſunt in ipo ṗmo ⁊
ṗncipalr̃. tñ ẽm h9i ꝯcept9 ⁊ intẽtiões accipit modus
ſciẽdi ⁊ itelligẽdi. nã l℥ ṗncipalr̃ ſciam9 ipas res: ſcim9
tñ eas ẽm modũ quo ſunt in nobis ꝯcept9 ⁊ intẽtiões
earũ. modus ergo ſciẽdi ex talib9 itẽtionib9 accipit ꝓ
prie. ergo dialetica eſt magis modus ſciẽdi q̃z ſcia. cõi
tñ nomie ſcientia dici põt: nõ ꝓprie: q̃ ut p℥ per iã di-
cta: ſcia eſt de reb9: modus tamẽ ſciendi accipit ẽm in-
tentiones ⁊ conceptus.

**Alterius** forte dubitaret aliqs. dato q̃ diale
tica aliquo mõ ſit ſciẽtia. utrum ſit
cois uel ſpãlis. ¶ Rñdeo dicẽdo: q̃ ut p℥ per iã dicta
dialetica per ſe eſt de ꝯceptib9 ⁊ intẽtionib9 que ſe te-
nẽt ex pte rõnis. uerũ q̃ h9i ꝯcept9 ⁊ rõnes applicabi-
les ſunt ad oia: dialetica quodãmõ eſt de oibus reb9.
⁊ iõ bñ dictũ eſt qd ſcribit ṗ° topico℞. c. ṗ°. q̃ dialecti-
ca ad oiu℥ methodo℞ ṗn9 viã hẽt. oẽs eni ſcie aliq̃ mõ
utunt ſillo ⁊ alijs itẽtionib9: de qb9 eſt logica. ¶ Cũ
ergo querit utrũ dialetica ſit cois ſcia uel ſpãlis: p℥ q̃
per ſe ⁊ ṗ° eſt ſpãlis: q̃ nõ eſt de oi ente: ſed ſolũ eſt de
ꝯceptibus ⁊ itẽtionib9 formatis per actũ rõnis: ut cõi
noie: ut dictũ eſt. ⁊ de ipſis actib9 rõnis: tñ q̃ h9i act9
ad oia entia applicari poſſunt: ex ꝯñti dialetica eſt ſci-
entia cois. Ex hoc forte ortũ habuit illa diſtinctio: q̃
dialetica ꝯſiderari põt ut docens: ⁊ ut utens. ut docẽs
aũt eſt ſpãlis: q̃ nõ eſt de oi ente: ſed ſolũ eſt de his que
ſe tenẽt ex pte rõnis. ut utens vo eſt quodãmõ cois: q̃
rõnib9 illis uti poſſumus in oi mã ⁊ applicabiles ſunt
ad oia entia. Ex h ẽt patẽ põt quõ dialetica eſt de ſecũ
dis itẽtiõib9 adiũctis ṗmis. illis eni enũciatio ⁊ talia
de qb9 per ſe eſt logica ſcdas intẽtiones noiant: tñ q̃

hec applicabilia ſunt ad ea que ſunt ſignificatiua rerū
⁊ ad ea que dicunt intētiones p̄mas: iō dialetica eſt de
ſcd̄is intētionib⁹ adiūctis p̄mis: q̄ eſt de talib⁹ ſcd̄is
intētionib⁹ applicabilib⁹ ad ea que ſunt p̄me intētio-
nis. quō aūt differunt p̄me intētiones a ſcd̄is: ⁊ utrū
de oib⁹ ſcd̄is intētionib⁹ ſit dialetica: ⁊ quō eſt de eis
alibi forte declarabit. Ad p̄ſens aūt ſufficiat ſcire ꝙ di
aletica magis eſt de ſcd̄is intētionib⁹. Scie v̄o reales
magis ſunt de intētionib⁹ p̄mis: ⁊ q̄ que tradunt in
logica p̄nt adiungi ⁊ applicari ad ea que ſunt aliarum
ſciarū. iō dictū eſt dialeticaꝫ eſſe de ſcd̄is intētionibus
adiunctis p̄mis. i. applicabilib⁹ ad p̄mas.

## Alterius queritur.

Dato ꝙ dialetica nō ſit ſcia niſi
large loquēdo: ⁊ ꝙ pōt eē cois ⁊ ſpālis: dubitaret for-
te aliqs. utꝝ magis deficiat a rōne ſcie: ut eſt cois q̄ꝫ ut
eſt ſpālis: ut econuerſo. ℭ R̄ꝫ. dōm ꝙ magis deficit a
rōne ſcie: ⁊ magis eſt modus ſciēdi: ut eſt cois: ⁊ ut ap-
plicat ad res: q̄ꝫ ut eſt ſpālis: q̄ ut eſt cois ⁊ ut applica
tur ad res nō eſt determiati gñis: nec eſt de aliquo obie
cto p̄ncipalr: ſed ſolū eſt qdā modus ſciēdi quo utunt
alie ſciencie in determinādo de reb⁹. Sed ut eſt ſpālis:
⁊ ut eſt docens hēt aliqd obm de quo ꝯſiderat p̄ncipa
liter: ut ea que ſe tenēt ex pte rōnis: ⁊ de eis ꝓbat que
ꝓbare debet: ut ꝓbat debitas paſſiones de ſillo. uel ēt
ꝓbat alia ut mā reqrit in multis: ⁊ imitat alias ſcias.
Deficit tñ aliquo mō a rōne ſcie: q̄ lꝫ ſic accepta ſit ali
quo mō de aliq obiecto p̄ncipalr: ut de his que ſe te-
nēt ex pte rōnis: tū q̄ talia nō p̄nt eē p̄ncipale obm in
tellectus: dialetica ēt ſic accepta deficit aliquo mō a ra
tione ſcie: ⁊ dicit eē modus ſciendi.

## Alterius

forte dubitaret aliquis. utꝝ dialetica
ſit necia: ⁊ ſit eēntialis pars phie. nā
quocūqꝫ mō accipiat cū ſemꝑ deficiat a rōne ſcie nō vi
def ꝙ ſit necia. ℭ R̄ꝫ dōm ꝙ ſicut res nālis duplr cō
ſiderari pōt. ſ. quātū ad eēntiā ſuā ⁊ quātū ad moduꝫ
exñdi quē hēt. ⁊ aliqd non eſt de rōne rei ꝯſiderate ſm
eſſentiā ſuā: ꝙ tñ eſt de rōne eius q̄ꝫtū ad modū exñdi:
ut ꝯditiones māe non ſunt de rōne hois ꝯſiderati ſm
eſſentiā ſuā. ſunt tñ de rōne eius q̄ꝫtū ad moduꝫ exñdi
quē hēt. nā cū nō exiſtat hō niſi in ſuis pticularib⁹ euꝫ
de rōne rei pticlaris ſit mā ſignata. De rōne hois q̄ꝫtū
ad modū exñdi quē hēt ſunt aliquo mō ꝯditiōes māe:
ſic phia duplr pōt ꝯſiderari: uel ſm ſe: uel ſm modū q
pticipat a nobis ſm ſe accepta: cū ſcis ſit ꝓpe de reb⁹
ptes eēntiales phie accipiunt ſm diuiſioneꝫ rerū: ⁊ q̄
res triplr p̄nt accipi: uel ut ſunt ꝯiuncte motui ⁊ māe
ſm eſſe ⁊ diffōnē ut nālis. uel ut ſunt ꝯiūcte ſm eſſe: ⁊
nō ſm diffōnē: ut mathe^{ca}. uel ut nec ſunt ꝯiuncte ſm
diffōnē: nec ſm eſſe ut ſcia diuia. iō dr̄ 6° me^{ce}. ꝙ tres
ſunt modi eēntiales phie: phiſicus: mathe^{c⁹}: ⁊ diuin⁹
Hꝫ aūt in declaratōib⁹ quas ſup p̄° phiſicoꝝ edidimus
plen⁹ tractauimus. igit ſm hūc modū dialetica ſic de
ficit a rōne ſcie: ſic deficit ꝙ nō eſt eēntialis pars phie.
Sꝫ ſi ꝯſideret phia nō ſm ſe: ſed ſm modū q pticipat a
nobis: q̄ nos itelligimus cū diſcurſu: ⁊ itelligim⁹ cō-
ponēdo ⁊ diuidēdo: pp qd itelligēdo pōt accidē obliq
tas ⁊ error: q̄ nō cōponimus nec iferimus ut debem⁹
iō dialetica qdāmō eſſentialr ptinet ad phiaꝫ. put diri
git intellectū nrm: ne in ſpeculādo accidat ſibi error.

## Alterius

forte dubitaret aliqs: q̄ nō videt ꝙ
tota logica ſit necia. nā ſi logica eſt
quedā directio itellectus: ⁊ ad hoc incta eſt ne intelle
ctui accidat error: q̄ in cōponēdo ⁊ diuidendo: ⁊ etiā
iferendo pōt error accidē. videt ꝙ liber piermenias: q
eſt de enūciatiōe: ⁊ libri ertis noue qui ſunt de ſillo ⁊
de illatiōe ſint aliquo mō necij. ſed liber p̄dicamētoꝝ
qui eſt de icōplexis: q̄ circa itelligētiā idiuiſibiliū: ſi-
ue circa illud qd qd eſt nō ꝯtigit error. iō talis liber vi
def eē ſupflu⁹. Cū eni ꝓpriū obm itellect⁹ ſit qd qd eſt
q̄ potētia nō errat circa ꝓpriū obm. Circa icōplexa ⁊
circa h⁹ͦi quidditates nō accidet error. ℭ R̄ꝫ dōo ꝙ lꝫ
circa talia nō accidat error per ſe. tñ ut coiter pōſt acci
dit error ꝑ accñs: qd ut coiter dr̄ duplr cōtigit. p̄° ſi at
tribuimus ꝯceptū ei cui nō ꝯuenit: ut ſi ꝯceptū ſpē at-
tribueremus accñti: uel ſi qd ꝯcipimus de hoie: crede
remus ꝙ cōpeteret leoni. 2° hoc ꝯtingit: q̄ etiā in tali
bus ꝯceptib⁹ qui ſunt de incōplexis eſt aliq mō cōpō:
ut ꝯcept⁹ ſpēi ꝯſurgit ex cōpōne ꝓpe dr̄ie cuꝫ gñe: ⁊ in
ꝯceptu gñis ꝯſurgit aliq cōpō ex potētia ⁊ actu. genus
eni ſm cōmētatorē 2° meta^{ce}. nō eſt idē qd mā: q̄ non
dicit potentiā purā: ſed dicit formā mediā inter potē-
tiam ⁊ actum. pōt ergo in talibus eſſe error: uel q̄ nō
cōiungimus debitē drīam debito generi: uel q̄ nō cō-
iungimus debitū actū debite potentie.

## Viſo quomodo

dialetica eſt ſciētia: ⁊
quō eſt eēntialis pars
phie, reſtat videre de drīa eius ad alias ſcias: ſed q̄ ſuf
ficienter dictū eſt quō differat a grāmatica. reſtat vide
re de drīs eius ad alias ſcias. ℭ Ideo forte dubitaret
aliqs. utrū dialetica differat a metaphiſica: ⁊ videt ꝙ
nō: q̄ ſcie diſtiguunt per obiecta: ⁊ per ea de qbus ꝯſi-
derat. ſed ſꝫ phm 4° meta^{ce}. logicus laborat in eo qd
phs debet laborare. vult eni ꝙ de eodē ꝯſiderēt meta
phiſicus ⁊ logicus. ℭ P. 2^{to}. ibidē vult ꝙ cōe eſt me
taphiſico ⁊ dialetico loq de ente ⁊ ait: ꝙ ꝯueniūt i ſbo
ergo ſunt vna ſcia: q̄ drīa ſciaruꝫ accipiēda eſt ex drīa
ſuboꝝ. ℭ R̄ꝫ dicēdo ꝙ ſcia nr̄a cauſat ex reb⁹: ut dicit
cōmētator 12° me^{ce} ꝯ^{to} 51°. Et ſcire eſt per cām: ut pōt
hēri ex p̄° poſterioꝝ. ⁊ p̄° phiſicoꝝ. cōmēto p̄°. ſicut ḡ
videmus in ipſis reb⁹: ⁊ in ipſis cauſis rerū. ſic ⁊ i ſcie
tijs arbitrari poſſumus. ſic eniꝫ oia entia reducunt in
vnū ens: ut in ens p̄mū. ⁊ ſic cāe ſunt ordinate ad inui
cē: ⁊ oēs reducunt in cām p̄mā. alr eni eēt ꝯfuſio vni-
uerſi: ſic ſcie ſunt ordiate ad inuicē: ⁊ oēs reducunt in
ſciam cōem: ut in metaphiſicā. alr eni eēt ꝯfuſio ſciaꝝ:
iō ſimplr ⁊ abſolute loquēdo nō eſt poſſe eē duas ſcias
cōes. metaphiſica ḡ que eſt cois: ⁊ eſt de ente i eo ꝙ ens
nō differt ab oib⁹ illis ſciētijs. eſt ergo vna drīa inter
metaphiſicā ⁊ dialeticam: q̄ metaphiſica ꝓpe eſt ſcia
cois: nō aūt dialetica. alia aūt drīa eē pōt: q̄ meta^{ca} eſt
ſciētia: ſed logica: ut patuit. magis eſt modus ſciendi.
ℭ Oppoſita aūt his nō eſt difficile ſoluere. nā dialeti
ca per ſe ⁊ p̄mo laborat circa ea que ſunt rōnis. ex ꝯñti
aūt ut ſupra dicebat circa totū ens. Cū ḡ dicit ꝙ circa
idē laborat logicus ⁊ phs: q̄ circa ens pꝫ hoc nō eē eo
dē mō: iō phia ⁊ logica nō ſunt vna ſcia. Qd v̄o ſcdo
addebat ꝙ ſunt de eodē ſbo. dicenduꝫ: ꝙ ſbm dici pōt
oē qd ꝯſiderationi ſubijcit. ens eni ſubijcit cōſideratio
ni logici: hoc eſt ex ꝯſequēti. ꝯſiderationi v̄o metaphi-
ſici ut dictū eſt ſubijcit per ſe ⁊ ſm ꝙ h⁹ͦi.

## Alterius

forte dubitaret aliqs. utꝝ dialetica
differat ab alijs ſciētijs realib⁹. vi-
def ꝙ nō: q̄ de h⁹ͦi ꝯceptibus de qbus eſt logica viden
tur eē ⁊ alie ſcie: ut pꝫ: q̄ in 3° de aia determinat de cō
ceptu indiuiſibiliū: ⁊ ēt de ꝯceptu cōpoſito: qd nō eēt
niſi de talib⁹ ſcie reales ꝯſiderare poſſent. ℭ Amplius
dialetica uel eſt de actibus rōnis: uel de ꝯceptibus for
matis per tales act⁹: ut ſit de diffinitione que format
ex itellectu ſimpliciū: ul' de enūciatiōe que format per
itellectū cōpoſituꝫ. ꝯſtat aūt ꝙ de talib⁹ aliquo modo
conſidera: ſcientia realis. nam de diffinitione conſi-
derat metaphiſicus: ⁊ qua ratione diffinitio eſt de con
ſideratione ſcientie realijs. alij etiam conceptus de cō
ſideratione talium actuū eſſe poterunt. ℭ R̄ꝫ. dōo: ꝙ
h⁹ͦi ꝯcept⁹ pōt dari duplex diſtinctio. p̄mo eni p̄nt ꝯſi-
derari ſm ſe: ⁊ ut ſunt noia ſcd̄e intētionis. 2° p̄nt acci
pi q̄ꝫtū ad id qd ſubijcit talib⁹ itētionib⁹. nā ſicut ge-

nuo noīat ītētionē ſcḋaz:aīal tū qḋ ſtat ſub tali ītētio-
ne noīat ītētionē pͥmā:ſic diffinitio ⁊ enūciatio nomi
nant ſcḋas ītētiones:ea tū que ſtant ſub iſtis pñt no-
minare ītētiones pͥmas.differt ergo dialetica ab aliꝭ
ſciētijs realibꝫ:qꝛ dialetica magis eſt de iſtis ut nomi
nant ītētiones ſcḋas.alie v̄o magis ſunt de his q̃tum
ad ea que talibꝫ ītētiōibꝫ ſūt ſubiecta.Scḋo pōt eē di
ſtictio taliū ꝯceptuū:qꝛ diffinitio ⁊ oēs hꝰ ꝯceptꝰ du-
pliciter pñt ꝯſiderari.uſ ut ſunt ſignificatiua rerū:uel
ſunt inſtr̄a intellectꝰ ad itelligendū. Dialetica ḡ qꝛ eſt
ſcia directiua rōnis ꝯſiderat de hꝰ ꝯceptibꝰ:ut ſunt in
ſtr̄a quedaʒ iuuantia itellectū ad itelligendū.Scie v̄o
reales ſi ꝯſiderant de talibꝰ:hoc eſt in quātū ſunt ſigni
Cō. 42. ficatiua rerū.⁊ hoc eſt quod cōmētator ait.7.metaᶜᵉ.
ꝙ logicus ꝯſiderat de diffinitiōe ſm ꝙ eſt inſtr̄m ꝙ in
ducit intellectū ad intelligere q̇dditates rerū.phs v̄o
ſm ꝙ ſignificat naturas rerū.

**Alterius** forte dubitaret aliqſ.utrū dialetica
differat a rhetorica.⁊ videf ꝙ nō.
rhetorica eni nō eſt realis nec eſt ꝓprie ſmocinalis:ſed
eſt magis rōnalis. Nā entimemata ⁊ rōnes ⁊ pſuaſio
videnf eē totū corpꝰ rhetorice:⁊ id circa qḋ pͥncipalr
uerſaf rhetorica:ut videf uelle phs pͥmo rhetoricoꝝ:⁊
qꝛ hoc videf eē ꝓpͥuʒ dialetice ꝙ nō ſit realis nec ꝓpe
ſmocinalis:ſed rōnalis.videf ꝙ hoc nō differat ab il-
la.C Rꝫ°.dḋo:ꝙ de hoc in rhetorica ſufficientiꝰ dixi-
mus:ſed ut ad pͥſens ſpectat:dicere poſſumus ꝙ inter
ea que ex pte rōnis ſe tenēt:quedaʒ ſunt violentiora ⁊
magis efficacia:q̇dā v̄o ſūt īfirmiora ⁊ magis debilia
ut ſilľs eſt efficacior q̃ʒ entimema:⁊ iductio q̃ʒ exēplū
eſt ergo rōnalis dialetica ⁊ rhetorica.alr̄ tamen ⁊ alr̄:
qꝛ dialetica pͥcipalr̄ ꝯſiderat que ſunt efficaciora ad
ꝯcludendū:ut ſunt ſilľs ⁊ inductio.rhetorica v̄o ꝯſide
rat debiliora:ut entimema ⁊ exēplū.eſt eni iductio effi
cacior exēplo:ſicut ſilľs efficacior entimemate.rheto-
rica ergo nō eſt dialetica eſt tū aliq̄ mō executiua dia-
letice:qꝛ ea de qbꝰ ꝯſiderat rhetorica reducunf ⁊ ordi
nanf ad ea q̄ ꝯſideranf in logica:ſic īfirma ad fortiora.

C Incipit liber pͥmus Elenchoꝝ Ariſtotelis. Cap. I.

d **E ſophiſticis aūt elenchis:⁊ de his qui videnf q̇deʒ elenchi:ſʒ non ſunt:ſunt autem paralogiſmi:dicemus.**

C Liber iſte qui dicif elenchoruʒ ſicut alij libri phi.pōt
diuidi in ptes duas. In ꝓhemiū ⁊ tractatū.ps executi
ua īcipit ibi[ Qm̄ ergo alij q̇dē.]ſʒ quoſdā aūt alibi
incipit ps executiua.ſed de hoc nō eſt magna vis cōſti
tuēda.Circa pͥmū duo facit.qꝛ pͥº dicit de qbꝰ eſt deter
minādū in h̄ liᵒ.2º dat modū ꝓcedēdi circa ea que eſt
determinaturus ibi[ Incipiētes a pͥmis.] C Ad euiᵈ
dētiā aūt pͥme ptis notādū ꝙ ſilľs ſophiſticus de quo
hic determiaf appet ⁊ nō exiſtit.eſt ergo ibi q̃ſi tria ꝯſi
derare.ſ.ſilľm ipm ſophiſticū.apparētiā ⁊ nō exiſtētiā
hic aūt tria tangit in pͥª pte.iō ait:nos aūt dicemus de
ſophiſticis elenchis q̃tum ad ipm ſilľm ſophiſticum:
⁊ dicemus de his.i.de talibꝰ ſilľis ſophiſticis qui vidē
tur ꝙ elenchi q̃tū ad apparētiā.ſunt aūt palogiſmi:ſʒ
nō elenchi q̃tū ad nō exñtiā. Exponif aūt dicꝰ textꝰ
aliter ut per ea que dicta ſunt nō tangant p̄dicta tria.
vʒ ſilľs ipſe ſophiſticus:⁊ apparētia ⁊ nō exñtia:ſed re-
ferf dicta lr̄a ad diuerſa gn̄a ſilľoruʒ ſophiſticoꝝ:ut ſit
ſenſus:nos dicemus de ſophiſticis elenchis q̃tum ad
peccātes in m̄a qui lʒ ſint ſophiſtici:ſunt tū elenchi ⁊
ſilľi:qꝛ ſm phm pͥº topicoꝝ.ſilľs litigioſus peccās in
m̄a ſilľs eſt ⁊ ſilľs dꝫ:⁊ addit qḋ vult dicere de his qui
videnf elenchi q̃tū ad peccātes in forma:iō ſubdit ꝙ
palogiſmi ſunt nō elenchi.Nā peccātes in forma ſunt
palogiſmi.i.iuxta ſilľos.videnf eni ſilľi ſed nō ſunt.uł
alr̄.nos dicemus de ſophiſticis elenchis.i.de fallacijs
in dictione.⁊ de his qui videnf elēchi.i.de fallacijs ex̄
dictionē.Dicunf aūt hꝰ fallacie:qꝛ videnf elenchi.qꝛ
plus hñt de apparētia:⁊ plus videnf decipe fallacie ex̄
dictionē q̃tū in dictione.⁊ lʒ hꝰ fallacie tantā hēant
apparētiā:nō tū pp hoc ſunt ueri ſilľi uel ueri elenchi:
ſed ſunt palogiſmi:uel paralenchi.Alio mō pōt expo-
ni:ut ii.⁊ legaf expoſitiue:⁊ ſic ſenſus.nos dicemus
de ſophiſticis elenchis.⁊ pro.i.de his qui videnf elen-
chi.C Notādū:ꝙ dicit de ſophiſticis elenchis:⁊ potiᵘ
us q̃ʒ de ſophiſticis ſilľis.Elenchus enim eſt ſilľs ꝯdi-
ctionis:qui maxie videf ptinere ad dialeticū:⁊ qꝛ fal-
lacie de qbꝰ hic determiaf maxime peccāt:ut patebit
ꝯtra ſilľm dialeticū ſiue ꝯ elenchū.iō hꝰ fallacie magis
inerenf dici elenchi ſophiſtici q̃ʒ ſillogiſmi ſophiſtici.
C Notādū etiā:ꝙ elenchū eē ſilľm ꝯtradictionis pōt
itelligi quadrupl̄r.pͥo ut dicif ſilľs ꝯdictionis:quis
ꝯcludit aliquā ꝓpōnē que pōt eē pars ꝯtradictionis:
⁊ ſic nō accipit elēchus hic:qꝛ hoc mō ois ſilľs eēt elen
chus:cū ois ꝓpōtā affirmatiua q̃ʒ negatiua poſſit eē
pars ꝯdictionis.ſcḋo pōt dici elenchus ſilľs ꝯcludēs
ꝓpōnē aliquā:cui ab aduerſario ſit ꝯtradictū:⁊ ſic ꝓ-
prie accipit elenchus ut eſt ſilľs dialeticꝰ:ut videf Ale
xander iuuere in ꝯº ſup hoc libro.dialeticus eni iter-
rogat ꝓpōnes quas accipit ab aduerſario.Et ſic eū ex
datio ab aduerſario poſſit ꝯcludere ꝓpōnē aliquā:cui
aduerſariꝰ dixit ꝯtra.dicit ei facere elenchū.3º mō pōt
accipi elenchus ſilľs ꝯcludens utrāqʒ ptē ꝯdictionis:
⁊ ſic duo ſilľi ſunt vnus elenchus.nō eſt eni icōueniēs
utrāqʒ ptē ꝯdictionis eē ꝓbabilem.alr̄ tū ⁊ aliter acce
ptā.ꝓbabile eni eſt medeā dilexiſſe i eo ꝙ mater ⁊ nō
dilexiſſe in eo ꝙ iterficiēs.q̄lis aūt ꝓbabilitas reſuari
pōt in utraqʒ pte ꝯdictionis:⁊ q̄liter ſilľs ꝯcludēs utrā
qʒ partē ꝯdictionis ſit dialeticus infra dicef.nā in fal-
lacia de petitione pͥncipij dicetur quō dialetica eſt ob
uiatiua:⁊ quō nō.⁊ quō arguit ex ꝓbabilibus:⁊ quō
nō.4º dicif elenchus ois ſilľs ꝯcludens ꝓpōnem nega
tiuā:qꝛ rō ꝯdictionis videf magis reſuari in negatio-
ne q̃ʒ in affirmatione.iſtoꝝ aūt quatuor modoꝝ acci-
piendi elenchū.pͥmus ⁊ quartus nō ſunt ita ad ꝓpoſi-
tum ſicut ſcḋs ⁊ tertius. C Notādū etiam ꝙ dicit de
ſophiſticis elenchis in plurali ⁊ nō in ſingulari:qꝛ etſi
elenchus ſilľs eſt vnus:tū ꝯtra vnū elenchū pōt diuer
ſimode errari:ſicut ab vno ⁊ eodeʒ ſigno diuerſimode
deriuaf.imo qꝛ in diffinitione elenchi ponunf diuerſe
pticule ꝯtra quas peccāt diuerſe fallacie:iō pp diuerſi
tatē rerū iſtarū obliquitatū magis dixit de ſophiſticis
elenchis in plurali q̃ʒ in ſingulari. Deinde cum dicit.

C Incipientes ſm naturā a primis.

C Dat modū ꝓcedendi in hoc libro.d.ꝙ vult ꝓcedere a
pͥmis ſm nāʒ.hoc multipl̄r exponif.pͥmo ſic ꝙ nālit er
qḋ an eſt p̄cedit qōnē q̇d eſt:uel ꝓpter q̇d eſt.vult ergo
phs incipere a pͥmis ſm nām:qꝛ pͥus vult determiare
de ſilľo ſophiſtico:an ſit:q̃ʒ q̇d ſit.Alio mō exponif ſic:
qꝛ mete pͥmo cadunt in cōſideratione ſophiſte.⁊ qꝛ pͥº
docet quot ſunt mete:q̃ʒ quot ſint modi arguēdi.ideo
incipiet a pͥmis ſm nām:qꝛ incipiet a metis quas nāli
ter ſophiſte pͥº appetunt.Danf etiā alij modi expōnia
qui oēs calumniā hñt.pp qḋ poſſumꝰ aliter dicē ꝙ ſʒ
nālem itelligētiā coia p̄cedunt ꝓpria. Amplius nāli-
ter elemēta p̄cedunt elementata:ut loci ſophiſtici qui
ſunt elemēta ſilľoꝝ ſophiſticoꝝ nāliter p̄cedunt ipſos
ſilľos ſophiſticos. C Rurſus.meta redargutiōis que
eſt apparentior ⁊ manifeſtior p̄cedit metas alias.vult
ergo phs dicere ꝙ incipiet a pͥmis ſm nām:qꝛ pͥus de
terminabit quedā coia circa ſilľm ſophiſticū q̃ʒ deter-
minet ꝓprie circa ipm.Rurſus.pͥus determinabit de

locis ſophiſticis q̃ʒ de ſill'is ſophiſticis. Amplius. ꝑus
determinabit de mera redargutionis: q̃ʒ de alijs metis
imo ſi ſic uellemus incedere totum ordinem libri poſ-
ſemus deſcribere oñdendo ꝙ ſemꝑ a p̃mis ſm nãm in
cipit. i. a p̃ncipio ut natura rei poſtulat.

Poſtquam diſputauimus quedã cõmunia circa dialeticã. reſtat diſputare
quedã coia circa ſill'm ſophiſticũ. ¶ Dubitat ergo p̃-
mo. utꝝ de ſill'o ſophiſtico poſſit eẽ ſcia. videt ꝙ nõ: q2
cõ. 4. ſʒ pħm. 6. meta[ce]. nõ male fecit Plato qui collocauit
ſermonẽ ſophiſticũ ſub nõ ente. ſi ergo de eo erit ſcien-
tia opʒ ut ſit ens: q2 non entis non ſunt ſpẽs neqʒ diffe
rentie: ꝛ per cõſequens non entis nõ põt eſſe ſcientia.
Amplius ꝛ ſophiſtica ꝛ obliquitates ꝛ priuationes:
ꝛ talia videnť eſſe quedã per accidens: ſed eius qd̃ eſt
per accidens nõ eſt entre arti: ut dicit 5° ethicoꝝ. ergo
de talibus nõ erit ſciẽtia. ¶ R̃° dicẽdo: ꝙ ſm quoſdã
de ſillogiſmo ſophiſtico eſt ſciẽtia: q2 h^{9r} ſillogiſmus
nõ dicit priuatiõnẽ ſolum: ſed ſup2a priuationẽ addit
aliquas cauſas: rõne quatũ de eo põt eſſe ſciẽtia. ſed h̃
non põt ſtare: q2 ſi ſill's ſophiſticus ſm ꝙ h^{9r} habet cãs
ille cauſe erunt uel apparẽtie uel nõ exiſtẽtie. ſi ergo ta
les cauſe faciunt ſciam nõ faciunt ſciam niſi exiſtima-
cõ. 5. tam. ideo dicit cõmẽtator 4° meta[ce]. ꝙ ſophiſta nullã
habet ſciam: ſed tñ facit eſtimari ſe eſſe ſcientem: cum
tñ nõ ſit. ideo poſſumus dicere ꝙ ſciẽtia nõ ſolum ꝯſi-
derat recta: ſed ꝛ obliquitates rectorũ: ut grãmatica
nõ ſolum cõſiderat cõgrua: ſed ꝛ incõgrua. ꝛ nãlis nõ
ſolum cõſiderat formã: ſed etiã priuationẽ. eſt ergo de
ſillogiſmo ſophiſtico ſciẽtia etiã ut eſt obliquitas que
dam. ſed quõ hoc ſit per ſequentes qõnes manifeſtius
apparebit. oſtendet enim infra ꝙ ſubiectũ huius libri
eſt elenchus: ꝛ hec ſciẽtia ꝓprie cõſiderat de elencho.
de fallacijs aũt nõ cõſiderat: niſi inquãtũ ſunt obliqui
tates elenchi: ꝓpter qd̃ de eis nõ eſt ſciẽtia per ſe: ſed
quaſi per accidens. ¶ Oppoſita aũt his nõ eſt diffici
le ſoluere. nam cum dicit ꝙ de nõ ente nõ eſt ſcientia:
uerum eſt ſcientia per ſe ꝛ diſtincta ꝛ ut apparebit nul
la ſcientia eſt per ſe ꝛ diſtincta que conſideret per ſe de
ſillogiſmo ſophiſtico. Qd̃ v̾o addebatur ꝙ de eo qd̃
eſt per accidẽs nõ eſt ſciẽtia. dici põt ꝙ de eo qd̃ eſt per
accids nõ eſt ſcia: ſʒ ꝙ h^{9r} nõ eſt ſcia per ſe. de ſill'o aũt
ſophiſtico: ut infra patebit nõ cõſiderat hec ars per ſe:
ſed cõſiderat de eo ut eſt obliquitas elenchi. uel poſſu-
mus dicere ꝙ ut ſatis põt haberi a Cõmentatore ſup
Cõ. 43. ꝛ 44. primo phiſicoꝝ. per accidens vno modo idem eſt qd̃
indeterminatũ: ꝛ ſic de eo qd̃ eſt per accidens non eſt
ſcientia: q2 qd̃ eſt tale ſm ꝙ h^{9r} quodãmodo eſt infini
tum. De infinito autẽ ſm ꝙ h^{9r} non eſt ſcientia. Alio
modo põt dici per accidens omne qd̃ nõ eſt per ſe ꝛ p̃
mo: ꝛ ſic qd̃ eſt ſecũdario: ꝛ ex ꝯſequẽti eſt per accidẽs.
ꝛ tale per accidens nihil ꝓhibet eſſe quid determina-
tum. aliter enim fit album ex dulci ꝛ ex nigro. Naʒ lʒ
utrũqʒ ſit per accidens tñ ut fit ex dulci eſt oĩo inde-
terminatũ ꝛ per accidens. ideo talis factio non deter
minatur in ſciẽtia: ſed ut fit ex nigro dicit quid determi
natum. Album enim fit ex nõ albo: ꝛ non ex quolibet
nõ albo: ſed determinate fit ex nigro: uł ex alio medio
colore. talis ergo factio lʒ ſit per accidens: q2 album
per ſe nõ fit ex nigro: ſed ex albo in potentia: nihilomi
nus tñ q2 tale per accidens quid terminatũ nominat
nõ ſubterfugit cõſiderationẽ artis: ſic lʒ de ſillogiſmo
ſophiſtico nõ poſſit eſſe ſcientia per ſe ꝛ p̃mo. tñ quia
ſillogiſmus ſophiſticus habet determinatos modos
apparẽtie: q2 determinate ſunt fallacie in dictione uł
extra dictionem: cõſideratio eius nõ ſubterfugit cõſi-
derationem artis. Uel poſſumus dicere ꝙ de his que
ſunt per accidens nõ eſt ſcientia quãtum ad res ſubie-
ctas ei: qd̃ eſt per accidens. põt tñ eſſe ſciẽtia de eo qd̃
eſt per accidens: ſm ꝙ dicit determinatã cõſideratio-
nem. ꝛ quantum ad id qd̃ importatur nomine eius. põt
enim eſſe ſciẽtia de caſu ꝛ fortuna. poſſumus enim ſci
re quid ĩportet nomine caſus: ꝛ quid noĩe fortune. ꝛ
cuiuſmodi cauſe ſunt caſus ꝛ fortuna: q2 ſunt per acci
dens: tñ de rebus ſubiectis caſui ꝛ fortune nullus arti
fex tradit ſcientiã: ſic de ſillogiſmo ſophiſtico põt eſſe
ſcientia: q2 poſſumus determinate ſcire quot ſunt mo
di ſillogiſmoꝝ ſophiſticorũ. ſcire tamen determinate
per vnam aliquam ſcientiam res ad quas põt applica
ri ſophiſticatio eſt impoſſibile: q2 talia ſunt quodãmo
do indeterminata: ꝛ iſta eſt ſententia philoſophi in pri
mo huius. in illo capl'o. Scd̃m autẽ que arguunt qui
elenchis utuntur: non oportet tentare.

Alterius forte dubitaret aliqs. dato ꝙ de ſil-
logiſmo ſophiſtico poſſit eẽ ſcientia
utrũ dialetica ſit illa ſcientia que eſt de tali ſill'o. ꝛ vide
tur ꝙ non: q2 ſophiſta differt a dialetico. ſi ergo ꝑtinet
ad ſophiſtã ꝯſiderare de tali ſill'o: ut patebit: nõ videt
ꝙ hoc ꝑtineat ad dialeticũ. ¶ R̃°. dõʒ ꝙ ut dicebat de
ſill'o ſophiſtico nõ põt eẽ ſcia per ſe ꝛ diſtincta ꝛ ſepa
rata cũ talis ſill's eẽntialr̃ ſit obliq̃tas quedã. illa ergo
eadẽ ſcia que ꝯſiderat de recto cui opponit hec obliq̃-
tas: ꝯſiderabit de iſta obliquitate. ſemꝑ enĩ eadẽ eſt ſci
entia oppoſitorũ: ꝛ rectũ eſt iudex ſui ꝛ obliqui: ut di-
citur in p̃mo de anima. quecũqʒ ergo ſcia que ꝯſiderat Tex. 2[ti] 85.
de recto poterit cõſiderare de obliquo: quod opponit
illi recto: ꝛ q2 ſill's ſophiſticus eſt obliquitas oppoſita
ſill'o dialetico: ut infra ꝓbat: dialetica que ꝯſiderat de
ſill'o dialetico ꝯſiderare poterit de ſophiſtico ei oppoſi
to. Quod v̾o dicebat ꝙ ſophiſta ꝯſiderat de tali ſill'o.
ergo dialeticus nõ ꝯſiderat de eo: ut patebit nõ eodem
modo ꝯſiderat ſophiſta ꝛ dialeticus de ſill'o ſophiſtico
diuerſas aũt artes cõſiderare de eodem. ſed nõ eodem
modo non eſt incõueniens.

Alterius forte dubitaret aliqs ſophiſta. utrũ
conſiderare poſſit de ſillogiſmo ſo-
phiſtico. ꝛ videtur ꝙ non: quia ut patet per habita cõ-
ſideratio ſillogiſmi ſophiſtici pertinet ad ſcientiã. ars
autẽ ſophiſtica nõ eſt ſcientia nec modus ſciẽdi. Sed
ſolum eſt modus apparendi: ut ſatis innuit Cõmenta
tor 4° meta[ce]. ergo ꝛc̃. ¶ R̃° dicendo: ꝙ non eſt incõ
ueniens aliquã artem cõſiderare: ꝛ intẽdere aliquid
tanq̃ʒ finem: ꝛ tñ nihil conſiderare de eo per qd̃ põt cõ cõ. 5.
ſequi finem illũ. Cum igitur finis ſophiſte ſit appare-
re ꝛ magis ei ſit opepreciũ videri ꝛ non facere: q̃ʒ fa
cere ꝛ non videri: quia hunc finem maxime põt conſe
qui per ſillogiſmum ſophiſticum: non obſtẽte ꝙ diale
ticus cõſiderat de ſillogiſmo ſophiſtico. nihilominus
etiam ꝛ ſophiſta cõſiderabit de ſillogiſmo ſophiſtico.
quomodo aũt differenter uterqʒ artifex conſiderat de
eo in ſequẽtibus apparebit. Qd̃ v̾o obijcitur ꝙ conſi
derare de ſillogiſmo ſophiſtico pertinet ad ſciam. er-
go non ꝑtinet ad ſophiſticum: q2 nõ eſt ſciens. dicẽdũ
ꝙ cõſiderare de tali ſill'o: nõ ſolum ꝑtinet ad dialeticã
que eſt aliquo mõ ſcia. ſed etiã ꝑtinet ad ſophiſtã: ſed
quõ differenter ſatis dicet.

Alterius forte dubitaret aliquis cũ ſophiſta
conſiderer de ſillogiſmo ſophiſtico.
utrum poſſit tradere artem de ipſo. ꝛ videt ꝙ ſic. q2 ſi-
cut ſe habet ſillogiſmus dialeticus ad dialeticũ: ſic ſe
habet ſophiſticus ad ſophiſtam: ſed dialeticus ita cõſi
derat de ſillogiſmo dialetico ꝙ tradit artem de ipſo. er
go ꝛ ſophiſta ſi cõſiderabit de ſophiſtico: ita conſidera
bit ꝙ tradet artem de eo. ¶ R̃° dicẽdo ꝙ tradere ar-
tem de aliquo ſm ꝙ h^{9r} nõ eſt niſi eius qui aliquo mo
do habet rationem ſcientie. ſophiſta autem nullo mo-
do ſm ueritatem eſt ſciens: ideo de nullo poterit tra-
dere ſcientiã ꝛ artem. poterit ergo ſophiſta uti ſillogiſ-

mo ſophiſtico.ſed nullo mõ tradit artẽ de ipſo.Et ut me-
lius appareat ueritas q̃ſiti.ſciẽdũ ꝙ tã entimema q̃z ſillõs
ſophiſticus ſunt qdez ſilli defectuoſi.alr tñ ⁊ alr.enti-
mema eni ſic eſt defectiuus ſillõs ꝙ nõ eſt defectiuꝰ tñ:
imo ſm ꝙ hꝰ oſtẽdit aliqd poſitiue:⁊ aggenerat aliqd
in aĩo auditoris:ut fidẽ ⁊ pſuaſionẽ.Nã ſicut eſt ꝓpri
um ſilli dialetici facere opinari:ſic ꝓpriũ eſt entimema
tis facere pſuadere.ideo pter dialeticã que ꝯſiderat de
entimemate:nõ p̃mo ⁊ per ſe:ſed ex ꝯñti.in quãtũ de
fectiuus ſillõs eſt dare quãdã aliã ſciaz ut rhetoricã que
p̃ncipalr ⁊ per ſe ꝯſiderat de entimemate.ſillus tñ ſo-
phiſticus lz forte ſm apparentiã dicat aliqd poſitiue.
ſm vitatẽ tñ nõ eſt ibi niſi obliqtas quedã: iõ p3 ꝙ hꝰ
nihil cauſat in aĩo auditoris niſi deceptionẽ ſolũ.ideo
de tali ſillogiſmo non poteſt eſſe aliqua ſcientia per ſe
diſtincta ⁊ ſeparata a dialetica: ſed ſola dialetica: que
tradit artem de ſillogiſmo dialetico:poterit ⁊ tradere
artem de ſillogiſmo ſophiſtico tanq̃z de oppoſito eiꝰ.
ſophiſta ergo lz poſſit uti eo: non tñ tradit artem de ip
ſo.qđ vo dicebat de ſillogiſmo dialetico p3 ꝙ nõ eſt ſi
mile:q2 ſillogiſmus dialeticus dicit aliqd poſitiue: ⁊
nõ cauſat ſolum deceptionẽ in animo auditoris:imo
cauſat opinionem:qđ nõ cõtingit de ſillogiſmo ſophi
ſtico:cũ ſm ꝙ hꝰ ſit ſolum obliquitas.Si ergo ſophi
ſta poſſet tradere artem de ſillogiſmo ſophiſtico opor-
teret ꝙ conſideraret de aliquo ſillogiſmo per ſe:cuius
eſſet obliquitas ſillogiſmus ſophiſticus.rõne cuiꝰ de
tali ſillogiſmo poſſet tradere ſciam:⁊ tunc ſophiſtica nõ
eſſet ſolum apparens ſapiẽtia:⁊ ulterius pertineret ad
ſophiſtam conſiderare de ſillogiſmo dialetico.cum ſil
logiſmus ſophiſticus ꝓprie ſit obliquitas ſilli dialeti
ci que oĩa ſunt incõuenientia dicere.

**Ulterius** forte dubitaret aliqs.utrũ ꝑtineat ad dialeticã uti ſillogiſmo ſophiſti-
co.⁊ videtur ꝙ ſic:q2 ſcientia que tradit artem de ali-
quo põt uti eo de quo artez tradit:ut dialetica que tra
dit artem de ſillogiſmo dialetico utitur hꝰ ſillogiſmo.
ergo ſi tradit artez de ſillogiſmo ſophiſtico utetur eo.
¶ Rñdeo dicẽdo:ꝙ ars aliquorũ tradit notitiã qui-
bus põt uti:cuiuſmodi ſunt que per ſe ſunt de conſide
ratione artis:ut grãmatica utit congruo:cuius noti-
tiam tradit:aliquorũ vo ars tradit notitiam quibꝰ nõ
debet uti:⁊ huiuſmodi ſunt que quaſi per accidẽs cõ-
parantur ad artem ⁊ ſunt quaſi obliquitates eius.vide-
mus enim eandem grãmaticã docere cognoſcere con
gruum ⁊ incõgruum.ipſa tñ utitur cõgruo ⁊ nõ incõ-
gruo.dialeticus ergo qui tradit artẽ de ſillogiſmo dia
letico poterit tradere artem de ſophiſtico:qui eſt eius
obliquitas.utitur tamẽ ſillogiſmo dialetico ⁊ non ſo-
phiſtico.⁊ ſi forte utitur eſt ualde per accidens:ut cõ-
tra litigioſos ⁊ diſcolos.nõ enim oportet qui dat ar-
tez ſophiſticãdi:ut ſophiſticet ſicut dialeticus qui dat
artem demonſtrandi:non tamẽ ꝓpter hoc demõſtrat.
Ita cum docet cognoſcere ſillogiſmũ ſophiſticum:nõ
tamen ꝓpter hoc ſophiſticat: imo quia tradere artem
⁊ docere eſt aliquo modo demonſtrare: nullo tamen
modo docere eſt ſophiſticare: imo ſophiſticatio ⁊ do-
ctrina videntur penitus oppoſita:inde eſt ꝙ ſi aliquo
modo poſſumus concedere ꝙ qui tradit artem demõ
ſtrandi ꝙ demonſtret:nullatenus tamẽ cõcedendum
eſt:ꝙ qui docet cognoſcere ſophiſticam ꝙ ſm ꝙ hꝰ ſo
phiſticet.Qđ vo obijcitur de ſillogiſmo dialetico nõ
eſt ſimile:q2 hꝰ ſillogiſmus nõ eſt obliquitas artis ſi-
cut eſt ſillogiſmus ſophiſticus.

## ¶ Quõ ergo alij quidem ſunt ſilli: alij aũt cũ non ſint videntur:manifeſtum eſt.

¶ Ut dicebat coĩa nãli itelligentia p̃cedunt ꝓpria.⁊ q2
in hoc libro vult pħs incipe a p̃mis ſm nãm.iõ expedi
to ꝓhemio pars iſta executiua diuidit in duas ptes:q2
pħs p̃mo determiat quedã coĩa circa diſputationẽ ſo-
phiſticã:ſiue circa ſillm ſophiſticuz.2° ſpãliter incipit
exequi de his que ꝑtinẽt ad hꝰ ſillz ibi ⌊Primũ ergo
ſumẽdũ eſt.⌋ Circa p̃mũ duo facit:q2 p̃mo dat neceſſi-
tatem huiꝰ artis.2° ſepat diſputationẽ ſophiſticaz: de
qua hic itẽdit ab alijs diſputationibꝰ ibi ⌊Quot ſunt
ſpecies ſophiſticarũ.⌋ ¶ Sciendũ aũt ꝙ hec duo:vi-
delicet neceſſitas huiꝰ doctrine:⁊ diſtictio eiꝰ ab alijs
dicunt quedã coĩa:q2 hoc eſt cõmune cuilibet doctri
ne:ꝙ debet eẽ digna uel neceſſaria.⁊ ꝙ dz eẽ diſtincta
ab alijs.¶ Sciendũ etiã ꝙ cognoſcere obliqtates ꝑ
tanto eſt expediens ⁊ neceſſarium ut poſſimus cauere
nobis ab illis.per ſe eni loquẽdo de obliquitatibꝰ nõ
determinat ars ut utamur eis:ſed ut vitemus illas.ſi
ergo eſſet aliqua obliquitas circa quaz non poſſemus
decipi:quaſi ſuperuacuũ videretur tradere notitiam il-
lius obliquitatis.quanto ergo aliqua obliquitas ma
gis eſt poſſibilis: ⁊ pluribus modis poſſumus decipi
circa illam.tanto expedientius eſt habere notitiam il-
lius.oſtendere ergo ſophiſticationẽ eſſe poſſibilem: ⁊
ꝙ multis modis poſſumus per ſophiſticationem deci
pi.eſt oſtendere hanc doctrinam eſſe expedientez ⁊ ne-
ceſſariam que docet ſophiſticationem cognoſcere. In
determinando ergo de huiuſmodi neceſſitate duo fa-
cit:quia primo ꝓponit ꝙ ſunt aliqui ſillogiſmi ſophi
ſtici.ſcđo oſtendit ꝙ per talem ſophiſticationem con-
tingit nos multipliciter decipi ibi ⌊Nã q̃admodũ
in alijs.⌋ Dicit ergo.quoniã ergo alij ſunt quidem ſil
logiſmi ſm rei ueritatem.alij autez videntur eſſe ſillo-
giſmi:cum tamẽ non ſint:ꝙ autẽ ſic ſit manifeſtum eſt
ſup.ex dicendis.¶ Notandum ergo:ꝙ ly ergo ſequi
tur ex his que dicta ſunt.vnde ſi ſophiſtici elenchi vi-
dentur ſillogiſmi:non tamen ſunt ſillogiſmi:ſed para-
logiſmi oportet ꝙ alij ſint ſillogiſmi ut ſillogiſmi ueri.
alij vo non ſint ſillogiſmi:ſed videãtur: ut paralogiſmi.
uel poſſumus dicere ꝙ ly ergo nõ tenet illatiue ſed in-
ceptiue.Deinde cum dicit.

## ¶ Nam quemadmoduz ⁊ in alijs hoc fit: uel ꝓpter quandaz ſimilitudinem: ſic ⁊ in orationibus ſe habet.

¶ Oſtẽdit ꝙ huiuſmodi ſophiſticatio multipliciter eſt
poſſibilis:⁊ multipliciter contingit nos per ſophiſtica
tionem decipi. ¶ Ad cuius euidentiam notandum:
ꝙ in omni ſophiſticatione quatuor eſt conſiderare.vi
delicet illum qui loquitur:rem de qua loquitur:ſmo-
nem quem loquitur:⁊ cum ad quem loquitur.illa er-
go ſophiſticatio tunc per omnem moduz decipit quã-
do eſt apta nata decipere ex parte dicentis:auditoris:
ſermonis:⁊ rei.illius ergo cognitio eſt neceſſaria ⁊ uti
lis.philoſophus igit in tota iſta parte ubi intẽdit pro-
bare neceſſitatem ⁊ utilitatem huius doctrine vnam
ſolam rationem intendit:que talis eſt.quãto obliqui-
tas aliqua pluribus modis decipit:tanto cognitio illi
us eſt magis neceſſaria:⁊ magis utilis.ſed obliquitas
ſophiſtica per omnem modum eſt apta nata decipere.
ergo eius cognitio per omnem modum eſt neceſſaria
